

11506.

1

DISPUTATIO
de
DEFINITIONE,
 ET DIVISIONE
 RHETORICES;

Quam,
 divino numine gubernante,
 &
*Amplissimâ facultate Philosophicâ almae
 Salanae consentiente,*

PRO LOCO,
*in dictâ facultate sibi jam tum concessô,
 publicé*

discutiendam proponit

M. GEORG. Klein / Lengfeld,
 MYSUS,

Respondente

GEORGIO WINERO,
 WALDORF.




*a. d. 28. Sept. loco consueto, horis
 pomerid.*

JENÆ,
 TYPIS CHRISTOPHORI LIPPOLDI,
 Anno Christi 1710 cv.

Aesthet.

40,4 ₰

11506 July VIII



REVERENDIS CLA-
RISSIMIS ATQUE

EXCELLENTISSIMIS

VIRIS:

DN. { AMBROSIO REUDENIO } S. S. Theologiae Doctori-
{ PETRO PISCATORI } bus, ejusdemq; in inluta
Salanae Professorib. publ.

Dn. Patronis, Promotoribus, ac Praeceptoribus suis, omni observantiae, & obsequii cultu perpetim prosequendis;

Debitae observantiae, & gratitudinis ergo,

Consecrat

Georg. Winerus Waldorff,
Resp.

Theſis prima.

DUÆ sunt in μικροκόσμῳ, homine, dotes præcipuæ, quibus æternus rerum conditor & effector, præclarum hoc animal non solum ornavit eleganter, verum etiam ab omnibus viventibus discrevit sapienter: Ratio, sci licet, & oratio.

2. Quod utrumque perbellè Græci uno λόγος verbo proferunt, qui tamen deinde ab iis dicitur, ille quidem ἐνδιάθετος, hic verò προφορικός.

3. Hinc homo ipse a Græcis vocatur ζῷον λογικόν, ad differentiã ceterarum animantium tam rationis, quam orationis expertium, quæ ob hoc ipsum ζῷα ἄλογα ipsis sunt & dicuntur.

4. Disciplinarum etiam genus inde existit, complexu suo Dialecticam, Grammaticam & Rhetoricam continens, quæ ideo Logicæ adpellantur artes vel disciplinæ.

5. Circa rationem versatur Dialectica, dum, vide licet, quo modo bene disserere possimus, quod fit inveniendò, disponendò, judicandò, meditandò, ratiocinandò, ordinandò, docendò, colloquendò, disputandò, atque omnino ratione rectè & bene utendò, modum præscribit, instrumentaque nobis subministrat.

6. Grammatica & Rhetorica circa orationem, diverso tamen modo & fine, versantur. Grammatica

quidem, quâ tenus secundum naturalem usum primum, deinde verò ex illo natas regulas & præceptiones loquimur bene, tersè, & emendatè.

7. De qua, ut & de rationis arte, Dialectica, quarum quidem utriusq; laus est magna, dignitas major, usus maximus, in præsentia verbum nullum.

8. Rhetorica verò circa orationem, uti diximus, versatur, quâ tenus in eâ expoliendâ, perpoliendâ, exornandâ, atq; vestiendâ, quin & aptè decentèq; proferendâ atq; pronunciandâ exercetur, & occupatur.

9. Quæ ipsa Dialecticâ & Grammaticâ, laude, dignitate, & usu inferior non est; immo interdum eas videtur superare.

10. Operæ igitur pretium nos facturos censuimus, si de hujus ipsius definitione primum, deinde & divisione paulo quædam altiùs repetamus, & inquiramus.

11. Definitiones Rhetoricæ alii ponunt alias. Nos nemini quidquam detrahentes, judiciùmq; liberum, cuiq; relinquentes eam, quæ nobis & melior, & verior videtur, hîc ponemus.

12. Rhetoricæ igitur, non in lata, verum in stricta significatione adceptæ hæc esto definitio: Rhetorica est ars bene dicendi.

13. Quæ definitio, ut pleniùs & planiùs capi possit ac intelligi, singula ejus membra seorsim sunt excutienda, & examinanda.

14. Quod ipsum dum facimus, quia a vocis usu sæpe numero in perceptionem rei provehimur, ante omnia verbi hujus significatio, etymologia & notatio est inquirenda.

15. Aliis verbum græcum *ῥήω*, quod idem, ac fluo, latinis

tinis

finis est, radix est, & origo vocis Rhetoricæ, elegantî
metaphora a fluminibus traducta, quôd fluminis in-
star oratio fluere debeat.

16. Quos tropum ita in hac voce statuentes, ut me-
rito non debemus, ita nec volumus fugillare.

17. Ubi tamen significatio propria, in primis veró
ad rem propiús adcedens, haberi potest, illam præ
modificata usurpandam esse, æquum est, ut censea-
mus.

18. Dicimus igitur, & statuimus, Rhetoricam de-
duci a vetere verbo ῥάω, vel εἶρω vel ἐρέω, quæ dico &
loquor Latinis significant, quo ipso artis hujus officii-
um & finis ὀφθαλμοφανώς intenditur, atq; indicatur.

19. Quibus ita stantibus, proximum est, ut ad defi-
nitionis, proprié sic dictæ, membra sive partes nos ad-
cingamus explicandas.

20. Quarum in numero Artis verbum sese primúm
nobis offert & exhibet intuendum.

21. Negant multi, Rhetoricam esse artem, strictissi-
mé artis vocabulo adcepto, quæ sci licet, munus suum
in externo exerat objecto vel subjecto, opúsq; post se
quoddam relinquat.

22. Fuit hæc Artis definitio Aristotelis, sui tempo-
ris Philosophorum facilé principis. Quam ipsam de-
finitionem vel retinere possumus, & ad institutum
nostrum adcommoðare; vel salva Aristotelis existima-
tione, tanquam pressam nimis & arctam, rejicere &
removeere.

23. Quando retinemus, idem, quod ars aliás præsta-
re dicitur, & operari, Rhetoricam quoq; præstare &
operari posse, statuemus.

24. Sin veró rejicimus, ejus in locum merito alia erit substituenda & adducenda.

25. Esto igitur illa a Luciano tradita, a Quintiliano versa, a Sturmio repetita, a Philippo laudata, a multis usurpata.

26. Luciani verbis græcis traditio hæc est: Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγραμματολόγων, πρὸς τὴν τέλην εὐχρηστον, τῶν ἐν βίῳ.

27. Quintiliani veró versio: Ars est, quæ constat e præceptionibus consentientibus, & coexercitatis ad finem utilem vitæ.

28. Sturmii repetitio, quam Philippus laudat, est hæc: Ars est ordo certarum propositionum, exercitatione cognitarum, ad finem utilem in vitâ.

29. Rotundiús alii definiunt: Ars est comprehensio præceptorû in reb. vitæ utilib. ordine catholicorû.

30. Vel sic: Ars est rerum homogenearum per generalissimum, subalterna, specialissima, comprehensio & ordinatio.

31. Quas definitiones verbis elegantes, brevitare rotundas, perspicuitate faciles, & re deniq;, quæ definitur, dignissimas, ut abjiciamus, quis possit aut debeat nobis persuadere?

32. Sermone jam de Rhetoricæ genere, quod Artis vocabulo comprehenditur, finito, rectâ ad alia expedienda transimus, & recté.

33. Particulæ Bene, quæ in definitione ponitur, quidam bene esse non patiuntur, omnino statuentes eam esse funditus delendam & extirpandam.

34. Nos veró, qui bene eidem particulæ cupimus, cur in illam adeó sæviatur, causam satis gravem non videmus ullam.

35. Non abs re etiam erit, si ad explicationem definitionis uberiores, de subjecto, objecto vel materia circa quam, uti vocant, Rhetorices in medium quid proponamus, & proferamus.

36. Illud merito quodam, ut reliquarum disciplinarum omnium; ita & Rhetorices duas in partes dispecimus cum Zabarellâ.

37. Prior pars, res considerata dicitur, quam objectum materiale vocant; ac sunt in Rhetorica res omnes, sive veræ, sive, tanquam veræ sint, confictæ, quæ scilicet, ornatum, cultum, nitorem & vestitum Rhetoricum recipere, atq; admittere possunt.

38. Pars posterior adpellatur modus considerandi, sive formale subjectum, quod Rhetoricæ est, oratio, quâ tenus ornatu illo, quem diximus, atq; cultu & vestitu est insignienda atq; perpolianda.

39. Super est, ut & de fine Rhetorices, cum omnium artium & disciplinarum summum aliquod sit bonum, & finis extremus, aliquid adferamus.

40. Is veró est: Bene dicere, quod fit, orationem troporum luminibus variando, figurarum insignibus exornando; modulatione vocis permulcendo, ac gestus deniq; dignitate excitando.

41. Et hæc breviter, *καὶ ὡς ἐν συνόψει* de Rhetoricæ definitione egisse sufficiat; reliquum est, ut & de divisione ejusdem paucula videamus.

42. Hic veró magnus iterum dissentientium & discrepantium se offert numerus, aliis plures, aliis pauciores Rhetoricæ partes statuentibus, atq; defendentibus.

43. Ubi relictis aliorum opinionibus sententiam, quæ
à ve-

a veritate propiús abesse videtur, nobis sequendam esse merito arbitramur.

44. Duas igitur dicimus essentielles & germanas esse Rhetoricæ partes: Elocutionem unam; alteram pronunciationem modó, modó etiam actionem a duplici suo, quo fungitur, munere adpellatam.

45. Elocutionem vocamus eam Rhetoricæ partem, quæ orationis ornamenta in tropis & figuris tradit.

46. Actionem veró, quæ aptam ornatamq; orationis enunciationem docet.

47. Atq; hæc subcincté de nobilissimæ, juxtá ac præstantissimæ artis Rhetoricæ definitione & divisione vel primoribus labris satis sit adtigisse.

48. Claudat συζήτησιν hanc nostram quæstio illa non nullius momenti, an, vide licet, Logica ante Rhetoricam, an veró hæc ante illam sit explicanda.

49. Sunt, qui adfirmant, Rhetoricã debere omnino præcedere, subsequi ipsam Dialecticam.

50. Nos ipsorum pace in contrariam euntes sententiam, Dialecticam anté, post veró Rhetoricam doceri debere, & disci, defendere adnitemur.

AUT SEQUERE HÆC; AUT NOS MONITI
MELIORA SEQUEMUR.



F I N I S.